



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi

Latomus, Jacobus

Antverpiae, 1587

Hymnus SS. Ambrosii, Et Avgvstini. Te Deum laudamus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

HYMNVS SS. AMBROSII,
ET AVGVSTINI.*Te Deum laudamus.*

NOs te laude Deū ferimus, Dominūq; fatemur,
 Æternūq; Patrem te colit omnis humus.
 Angelicæ mentes, cęlorum splendida moles,
 Quæque Potestates æthera cumque tenent.
 Quin Cherubin, Seraphinq; tibi clamore perenni
 Ter Sanctum ingeminant, militiæque Deum.
 Maiestate tua cęlos, terramque replesti:
 Gloria per cunctas est tua fusa plagas.
 Nobilis ille virūm bis sex, clarusque Senatus,
 Et Vatum illustri laude vehenda cohors
 Te celebrat, simul & niueo spectanda decore,
 Et testata Deum sanguine turba suo.
 Terrarum latè te Ecclesia sancta per orbem
 Concordi immensum prædicat ore Patrem.
 Prædicat & pronò venerandum vertice Natum,
 Quam verum, ac solum credimus esse tibi.
 Spiritum item sanctum, pia qui solatia menti
 Suggestit, & nomen muneris huius habet.
 Gloriæ & excelsi decoris Rex inclyte Christe es,
 Æterna æterni progeniesque Patris.
 Vt genus humanum Stygia de face leuares,
 Virginei haud piguit ventris inire sinus.
 Tu rigidæ mortis diro mucrone refracto,
 Fecisti ad cęli regna patere vias.
 Tu Patris ad dextram resides, atque eius in arce
 Imperij consors cęlica sceptrā tenes;
 Inde reuersurus Iudex æquissimus olim
 Omnibus, haud dubia crederis esse fide.

Quæsumus ergo tuis famulis succurre redemptis,
Christe tibi precio sanguinis almæ tui.
Et nos sanctorum iubeas numero esse tuorum,
Regia stelligeri quos habet alta poli.
Esto tuo populo custos felixque bonusque,
Quem propriæ duxti tortis habere loco.
Hunc rege perpetuò, cunctumq; extolle per æuum,
Portio nec curæ desinat esse tuæ.
Lux nobis haud vlla tuis sine laudibus exit,
Vsq; tuum nostro nomen in ore sedet.
Nos precor hoc à labe die dignare tueri,
Daque sit vt vitæ purus vbique tenor.
O miserere Deus nostri miserere precamur,
Nec meritis pœnas coge subire pares.
Vtque tibi merito soli confidimus vni,
Sic tua speratam gratia tendat opem.
Tu mea spes Dñe es, nec erit mihi spero pudori,
In te præsidium constituisse meum.

CANT. BIBL. FINIS.

S Y L.